

Universitätsbibliothek Wuppertal

M. Tvllii Ciceronis Opera Omnia

Cicero, Marcus Tullius

Basileæ, MDCLXXXII

De lege agraria I

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1133)

tem, virtutemque diligitis: levate hunc aliquando supplicem vestrum, iudices, tot annos in falsa invidia, periculisque versatum: qui nunc primum post illam flammam, aliorum factis, & cupiditate excitatam, spe vestra aequitatis erigere animum, & paulum respirare à metu coepit: cui posita sunt in vobis omnia: quem servatum esse plurimi cupiunt, servare soli vos potestis. Orat vos Avitus, iudices, & fens obsecrat, ne se invidia, qui in iudicio valere non debet: ne matri, cuius vota, & preces à vestris mentibus repudiare debetis: ne Oppianico, homini nefario, condemnato jam, & mortuo, condonetis. Quod si qua calamitas hunc in hoc iudicio affligerit innocentem: nam iste miser, iudices, si, quod difficile factum est, in vita remanebit, saepe, & multum queretur, deprehensum esse illud quondam Fabricianum venenum, quod si tum indicatum non esset: non huic arumnosissimo venenum illud fuisset, sed multorum medicamentum laborum: postremo etiam fortassis

mater exsequias illius funeris profecuta, mortem se filii iugere simulasset. nunc vero quid erit profectum, nisi ut huius ex mediis mortis insidiis vita ad luctum reservata; mors sepulchro patris privata esse videatur? Satis diu fuit in miseris, iudices: satis multos annos ex invidia laboravit, nemo huic tam iniquus, praeter parentem, fuit; 1. cuius animum non jam expletum esse putemus, vos, qui aequi estis omnibus, qui, ut quisque crudelissime oppugnatur, eum lenissime sublevatis, conservate A. Cluentium: restituite incolumem municipio; amicis, vicinis, hospitibus, quorum studia videtis, reddite; vobis in perpetuum, liberisque vestris obstringite. vestrum est hoc, iudices, vestrae clementiae: recte hoc repetitur à vobis, ut vitum optimum, atque innocentissimum, plurimisque mortalibus carum, atque jucundissimum, his aliquando calamitatibus liberetis: ut omnes intelligant, in concionibus esse invidia locum, in iudicio veritatem.

1. Cuius animum non jam expletum esse putamus.] Pal. pr. sec. tert. non habent negativam.

M. TVLLIVS CICERO
DE
LEGE AGRARIA,
KALENDIS JANVAR.
CONTRA
P. SERVILIUM RULLUM,
TRIBUNVM PL. IN SENATV.
ORATIO DECIMAQVINTA.

Desunt permulta

SYNOPSIS.

Causa. P. Servilius Rullus trib. plebis legem tulit, de Decemviris creandis ad omnes agros publicos (quibusdam exceptis) vel qui extra Italiam vel in Italia essent, partim vendendis, impositis vectigali, partim colonis dividendis, partim praeviatorum quosdam emendandos. Hanc legem Cicero primo Magistratus die, hoc est, Kalendis Januariis, in senatu, ipso praesente Rullo, & aliis trib. pleb. & post ad populum diffusit. Capita legis varia, de quibus vide hanc & sequentem orationem. Eventus qui fuerit, dicitur in sequenti orationis Synopsi.

* quae res aperte petebatur, ea nunc occultè cuniculis oppugnatur, dicent enim decemviri, id quod & dicitur à multis, & saepe dictum est; post eosdem consules, regis Alexandrini testamento, regnum illud, populi Rom. esse factum. Dabitur igitur Alexandriam etiam petentibus iis, quibus apertissime pugnantibus resistitis? haec, per deos immortales, utrum esse vobis consilia siccorum, an vno tentorum somnia: & utrum cogitata sapientum, an optata furiosorum videntur? Videte nunc, proximo capite, ut impurus helluo turdet rempublicam, ut à majoribus nostris

possiones reliquas disperdat, & dissipet: ut sit non minus in populi Rom. patrimonio nepos, quam in suo. Proscribit in sua lege vectigalia, quae decemviri vendant, hoc est, proscribit auctorem publicorum bonorum, agros emi vult, qui dividantur: quaerit pecuniam, videlicet excogitabit aliquid, atque afferet, nam superioribus capitibus dignitas populi Rom. violabatur: nomen imperii in commune odium orbis terrae vocabatur: urbes pacatae, agri sociorum, regum status & decemviris donabantur: nunc praesens, certa, pecunia numerata, quaeritur. Exspecto, quid tribunus plebis

PAL. pr. adscriptum habet; deesse à principio folia duo.

1. Decemviri donabantur.] Alii emendant vendebantur, quod eodem dicit, & tamen est contra m. l. edicolae, itaque praeter librorum

auctoritatem nihil moveo, ut fecit Lambinus; qui correctionem Puteani aliquin insignem intulit libris Tullii.

2. Post-

plebis vigilans, & acutus excogitet. *Veneat*, inquit, *silva Scantia*. Utrum tandem hanc silvam in relictis possessionibus, an in cenforum pascuis invenisti? siquid est, quod indagaris, inveneris, ex tenebris erueris, quamquam iniquum est, tamen consume, quoniam commodum est, quoniam quidem tu attulisti. silvam verò tu Scantiam vendas, nobis consulibus, atque hoc senatu? tu ullum vectigal attingas? tu populi Romani subsidia belli? tu ornamenta pacis eripias? Tum verò hoc me inertiorem consulem iudicabo, quam illos fortissimos viros, qui apud majores nostros fuerunt; quòd, quæ vectigalia, illis consulibus, populo Romano parata sunt, ea, me consule, ne retineri quidem potuisse iudicabuntur. Vendit Italiae possessiones ex ordine omnibus, sanè est in eo diligens. nullam enim prætermittit, & persequitur in tabulis cenforiis totam Siciliam. nullum ædificium; nullos agros relinquit. Audistis auctionem populi Romani proscriptam à tribuno plebis, constitutam in mensem Januariam: & credo, non dubitatis, quin idcirco hæc, ærarii causa, non venderint ii, qui armis, & virtute pepererunt, ut esset, quod nos, *largitionis causa*, vendemus. videte nunc, 2. quoad fecerit iter apertius, quam antea, nam superiore parte legis quemadmodum Pompejum oppugnantem, à me indicati sunt: nunc jam se ipsi indicabunt. jubent venire agros Attalensium, atque Olympenorum, hos populo Rom. Servilii, fortissimi viri, victoria adjunxit. deinde agros in Macedonia regios, qui partim T. Flaminii, partim L. Paulli, qui Persen vicit, virtute parti sunt: deinde 3. agrum optimum, & fructuosissimum Corinthium, qui L. Mummi imperio, ac felicitate ad vectigalia populi Rom. adjunctus est: post autem agros in Hispania apud Karthaginem novam, duorum Scipionum eximia virtute possessos: tum verò ipsam veterem Karthaginem vendunt, quam P. Africanus nudatam testis, ac manibus, sive ad notandam Karthaginensium calamitatem sive ad testificandam nostram victoriam, sive ad oblatam aliquam religionem, ad æternam hominum memoriam consecravit. His insignibus, atque insulis imperii venditis, quibus 4. ornatam vobis majores vestri rem publicam tradiderunt, jubent eos agros venire, quos rex Mithridates in Paphlagonia, Ponto, Cappadociaque possederit. Num obscure videntur, prope *hæstia præconis*, insectari Cn. Pompei exercitum, qui venire jubeant eos ipsos agros, in quibus ille etiam nunc bellum gerat, atque versetur? Hoc verò ejusmodi est, quod ejus auctionis, quam constituunt, locum sibi nullum definiunt? nam decemviris, quibus in locis *ipso vendatur*, vendendi potestas lege permittitur. Cenforibus vectigalia locare, nisi in *conspectu populi Rom.* non licet. his vendere vel in ultimis terris licebit? At hoc etiam nequissimi homines, consumtis patrimoniis, faciunt, ut in atris auctionariis potius, quam in trivis, aut in compitis auctionentur. hic permittit sua lege decemviris, ut in quibus commodum sit tenebris, ut in qua velint solitudine, bona populi Rom. possint dividere. Jam illa omnibus in provinciis, regnis, liberis populis quam acerba, quam formidolosa, quam *quæstiosa concursatio* decemviralis futura sit, non videtis? Hereditatum obeundarum causa, qui-

bis vos legationes dedistis, qui & privati, & privatae ad negotium exierunt, non maximis opibus, neque summa auctoritate præditi, tamen auditis profecto, quam graves eorum adventus sociis vestris esse soleant. Quamobrem quid putatis impendere hæc lege omnibus gentibus terroris & mali, cum mittantur in orbem terrarum decemviri, *summa cum imperio*, summa cum avaritia, infinitaque omnium rerum cupiditate? quorum cum adventus graves, cum fasces formidolosi, tum verò iudicium, ac potestas erit non ferenda. licebit enim, quod videbitur, publicum iudicare: quod iudicaverint, vendere etiam illud, quod homines sancti non facient, ut pecuniam accipiant, ne vendant: tamen id iis ipsum per legem licebit. hinc vos quas spoliaciones, quas pactiones, quam denique in omnibus locis nundinationem juris, ac fortunarum fore putatis? Etenim quod superiore parte legis præfinitum fuit, Sulla, & Pompejo consulibus, id rursus liberum, infinitumque fecerunt. Jubet eosdem decemviro omnibus agris publicis pergrande vectigal imponere, ut iidem possint & liberare agros, quos commodum sit, & quos ipsis libeat, publicare. quo in iudicio perspicere non potest, utrum severitas, acerbior, an benignitas, quaestuosior sit futura. Sunt tamen in tota lege exceptiones dux, non tam iniquæ, quam *sufficiens*. excipit in vectigali imponendo, agrum Recentoricum Siciliensem: in vendendis agris, eos agros, de quibus cautum sit federe. hi sunt in Africa, qui ab Hiempsale possidentur. Hic quarto, si Hiempsali satis est cautum federe, & Recentoricus ager, privatus est: quid attinerit excipere fin & foedus illud habet aliquam dubitationem, & ager Recentoricus dicitur nonnumquam esse publicus: quem putet existimaturum 5. duas causas in orbem terrarum repertas, quibus gratis parceret? 6. Nunc quisnam tam abstrusus usquam nummus videtur, quem non architecti huiusce legis olfecerint? provincias, civitates liberas, socios, amicos, reges denique exhauriunt: admovent manus vectigalibus populi Romani. non est satis. 7. Audite vos, qui amplissimo populi, senatusque iudicio exercitus habuistis & bella gessistis. QUOD AD QVEMQVE PERVENIT, pervenerit, ex præda, ex manubiis, ex auro coronario, quod neque consumtum in monumento, neque in ærarium relatum sit, id ad decemviro referri jubet. Hoc capite multa sperant: in omnibus imperatores, heredesque eorum *quæstionem* suo iudicio comparant: sed maximam pecuniam se à Fausto ablaturos arbitrantur, quam causam suscipere jurati iudices noluerunt, hanc isti decemviri suscipere. idcirco à iudicibus fastidite prætermittam esse arbitrantur, quod sit ipsis reservata. Deinde etiam in reliquam *tempus* diligentissime sancit, ut, quod quisque imperator habeat pecuniam: protinus ad decemviro deferat. Hic tamen excipit Pompejum; simillimè, ut mihi videtur, atque in illa lege, qua peregrini Roma efficiuntur, Glaucippus excipitur, non enim hæc exceptione unus afficitur beneficio, sed unus *privatur iniuria*. Sed cui manubias remittit, huius vectigalia invadit. jubet enim PECUNIAM, si qua post nos consules 9. ex novis vectigalibus recipiatur, hæc usque decemviro. Quasi verò non intelligamus, hæc

1. *Designatur in tabulis censuris, &c.* Puteanus mallet, *pres. ut in tabulis*, non male.

2. *Quoad fecerit iter apertius.* Ita libri scripti & editiones ante P. Manutium, qui malebat *quis adfertur iter apertus*, quem securus Lambinus, alique, nescio quomodo bene, vulgata sunt æque recta est. Gulielmius coniecit, *quis adfertur iter*.

3. *Agros optimum & fructuosiss.* P. Manutius, publicavit *opimum*, præter scripta exemplaria, quæ sic iterum scribunt oratione sequenti, cap. 4.

4. *Ornatam vobis majores vestri.* Nihilò deterius Pal. pr. & editi primitus, *vobis majores vestri*. Manutius recepit prius, abnuic posterus, quare, nescio, si obtemperandum erit Pal. sec. illud *vestri* totum delevis, utpote ejus nullum in eo exemplar vectigium.

5. *Dux causas in orbem terrarum repertas, quibus gratis parceret.* Gratia magna Claudio Puro, cuius rationes Lambino manus reuertunt, ne locum istum miserè truncaret, & sic tamen Monstrosiensis ille non adsecutus est auctoris nostri mentem.

6. *Nunc quisnam tam abstrusus, &c.* Pall. duo (nec enim plures sunt qui hanc servent orationem) *audem abstrusus*.

7. *Audite, audite vos, qui &c.* Vok geminata nunc primum accedie libris nostris, à Pal. sec. & Turingio Erford.

8. *Sed nunc privatur iniuria.* Lambinus obrudie, *prohibetur*; sed bene quod addit, id facere omnibus & vulgatis & mss. invicis.

9. *Ex novis vectigalibus recipiatur.* Ita edd. vett. ita Pall. Lambinus julsit adhiberemus, *restituam*, quo jure?

nos vestigalia, quæ Cn. Pompejus adjunxerit, vendere cogitare. Videtis jam P. C. 1 omnibus rebus, & modis constructam, & coactatam pecuniam decemviralem. Minuetur hujus pecuniae invidia, consumetur enim in agrorum emtionibus. Optime. Quis ergo emat agros istos? iidem decemvirum Rulle (missos enim facio ceteros) emes, quos voles: vendes quos voles: utrumque horum facies, quanti voles. Cavet enim vir optimus, ne emat ab invito, quasi verò non intelligamus, ab invito emere, injuriosum esse: ab non invito, *quasiustum*. Quantum tibi agri vendet, ut alios omitam, fover tuus? & si ego ejus aequitatem animi probè novi, vendet non invitus. Facient idem ceteri libenter, ut *possessio invidiam pecuniae commutent*: accipiant, quod cupiunt: dent, quod retinere vix possunt. Nunc prospicite omnium rerum infinitam, atque intolerandam licentiam. Pecunia coacta est ad agros emendos: ii porro ab invitis non ementur. Si consenserint possessores non vendere, quid futurum est? referetur pecunia? non licet exigetur? vetat. Verum esto: *nihil est, quod non emi possit, si tantum des, quantum velis venditor*. Spoliemus orbem terrarum, vendamus vestigalia, effundamus ararium, ut locupletatis aut invidiæ, aut pestilentiae possessoribus, agri tamen emanent. Quid tum? quæ erit in istos agros deductio? quæ totius rei ratio, atque descriptio? **DEDVCENTVR**, inquit, **COLONIAE**. 2 Quot? quorum hominum? in quæ loca? quis enim non videt, in coloniis esse hæc omnia consideranda? Tibi nos, Rulle, & istis tuis, harum omnium rerum machinatoribus, toram Italiani inermem tradituros existimasti, quam præditiis confirmaretis? coloniis occuparetis? omnibus *veluti de vincam*, & confictam teneretis? Ubi enim cavetur, ne in Janiculo coloniam constituitis? ne urbem hanc urbe alia premere, atque urgere possitis? Non faciemus, inquit, primum nescio: deinde timeo: postremo non committam, ut vestro beneficio potius, quam nostro consilio salvi esse possimus. Quod verò totam Italiani vestris colonis complere voluistis, id cuiusmodi esset, 3 neminem nostrum intellecturum existimavistis? Scripsum est enim: **QVAE IN MVNICIPIA, QVAE IN COLONIAS DECVM-VIRI VELINT, DEDVCANT COLONOS, QVOS VELINT: ET IIS AGROS ASSIGNENT, QUIBUS IN LOCIS VELINT: UT, CUM TOTAM ITALIAM militibus suis occuparit, vobis non modò dignitatis retinenda, sed ne libertatis quidem recuperanda spes relinquatur. Atque hæc à me suspitionibus & conjectura coarguntur. Jam omnis omnium tollitur error: jam aperte ostendunt, sibi nomen hujus rei publicæ. sedem urbis, atque imperii: denique hoc templum Jovis optimi maximi, atque hanc artem omnium gentium displicere. Capuam deduci colonos volunt: illam urbem huic urbi rursus opponere, illuc operas suas deferre, & *imperii nomen transferre* cogitant. qui locus propter ubertatem agrorum, abundantiamque rerum omnium, superbiam, & crudelitatem genuisse dicitur: ibi nostri coloni, delecti ad omne facinus: à decemviris collocabuntur. Et, credo, **QVA IN VRBE** homines, in veteri dignitate, fortunaque nati, copiam rerum moderatè ferre nò pouterunt, in ea isti vestri satellites, modestè insolentiam suam continebunt. Ma-**

jores nostri Capua magistratus, senatum, consilium commune, omnia denique insignia rei publicæ sustulerunt, neque aliud quidquam, nisi inane nomen Capuæ reliquerunt: non crudelitate (quid enim illis fuit clementius, qui etiam externis hostibus *vidus* sua sapientissime reddiderunt?) sed consilio: quod videbant, si quod rei publicæ vestigium illis mœnibus contineretur, urbem ipsam imperio *domestium* præbere posse. Vos hæc, nisi evertere remp. cuperetis, ac vobis novam dominationem comparare, credo, quam perniciofa essent, non videretis. 4 Quid enim cavendum est in coloniis deducendis? si luxuries: Hannibalem ipsum? Capua corrupti si superbia, nata inibi esse ex Campanorum fastidio videtur. si præsidium: non præponitur huic urbi ista colonia, sed opponitur? At quemadmodum armatur? dii immortales! nam bello Punico, quidquid potuit Capua, potuit ipsa per sese. nunc omnes urbes, quæ circum Capuam sunt, à colonis per eosdem decemviros occupabuntur. hanc enim ob causam permittit ipsa lex, **IN OMNIA, QVAE VELINT, OPIDA, COLONOS VT DECVM-VIRI DEDVCANT, QVOS VELINT**. Atque his colonis agrum Campanum, & Stellatam campum dividi jubet. Non queror diminutionem vestigalium, non flagitium hujus facturæ, atque damni: prætermitto illa, quæ nemo est, quin gravissimè, & verissimè conqueri possit, nos *capus patrimonii publici*, pulcherrimam populi Romani possessionem, subsidium annonæ, horreum belli, sub ligno, clausurisque rei publicæ positum vestigal, servare non potuisse: eum denique nos agrum P. Rullo concessisse, qui ager ipse per sese & Sullanæ dominationi, & Gracchorum largitionis restitisset. non dico, solum hoc in republ. vestigal esse, quod, *amissis aliis*, remaneat: intermissis, non conquireat: in pace nitent, in bello non obsolescat: militem sustentet, hostem non pertimescat. prætermitto omnem hanc orationem, & concioni reservo: de periculo salutis, ac libertatis loquor. Quid enim existimatis integrum vobis in republ. fore, aut in vestra libertate, & ac dignitate retinendum, cum Rullus, atque ii, quos multo magis, quam Rullam, timetis, cum omni egentium, atque improborum manu, cum omnibus copiis, cum omni argento, & auro, Capuam, & urbes circa Capuam occuparint? His ego rebus, P. C. resistam vehementer, atque acriter: neque patiar, homines ea, me consule, expromere, quæ *contra remp.* diu cogitarint. Erastis, Rulle, vehementer & tu, & nonnulli collegæ tui, qui sperastis, vos contra consulem, veritate, non ostentatione popularem, posse in everteunda republ. popularis existimari. laceffo vos, in concionem voco; populo Romano disceptatore uti volo. Etenim, ut circumspiciamus omnia, quæ populo grata, atque jucunda sunt, **NIHIL TAM P O P V L A R E**, quam pacem, quam concordiam, quam otium reperiemus. sollicitam mihi civitatis suspitione, suspensam metu, perturbatam vestris legibus, & concionibus, & seditionibus tradidistis: spem improbis ostendistis: timorem bonis injecistis: fidem de foro, dignitatem de republ. sustulistis. Hæc motu, atque hac perturbatione animorum, atque rerum cum populo Roman. vox, & austeritas consulis repente in tantis tenebris illuxerit: eum ostenderit, nihil esse metuendum, nullum exercitum, nullam manum, nullas

1. Omnibus rebus & modis. Lambinus *rationibus*; minus bene; nec suffragantur libri. *Res* intelligit, quibus conficeretur pecunia; *modis*, consilia, quibus in ead. conficienda nitentur. *Gallium*.
2. Quos? quorum hominum? Est à conjectura Bernardini Laurendani; cui faverit à secunda manu Palat. sec. qui prius habuerat bis, *Quorum? quorum hominum? etc.* vulgo erat, *Quos? quorum hominum?* quod etiam habet quo se tuetur, præcipue loco infra libro altero cap. 27. f. Puteanus quoque vulgatam impugnat, addit: *Quos, heic non significat locum, ut illi putans, sed quosdam, quem ob causam, quem ad finem. nam in coloniis deducendis, cum alia, tum causas in primis considerari oportebat: propter quas colonie deducerentur. de quibus Sigmundus de Antiq. jure Italiae. casaru vero Rullus in Senatu probare*

voluerat ad exhauriendam plebem urbanam. sic quo sumitur IV. Verina, item lib. VII. Ep. fam. 41.

3. Nomen nostrum *capus patrimonii publici*. Est à Pal. soc. neque aliter Latine loquendi ratio patitur. prius publicati, *existimatis*.

4. Qui à enim *adverbum est, etc.* Non opus negatione quod Lambinus videtur. diffinitione clariore opus erat, quam adhibui, secutus vestigia P. Manutii.

5. Capua corruptis. Expressi quod erat in Pall. retro enim vulgata Capua.

6. Ac dignitate retinendum. Erford. *retinenda*, cui accedit utriusque Pal. scg. in quo, *retinendum*.

nullas colonias, nullam venditionem vectigalium, nullum imperium novum, nullum *regnum decemvirale*, nullam alteram Romam, neque aliam sedem imperii, nobis consulibus, futuram, summamque tranquillitatem pacis, atque otii: verendum, credo, nobis erit, ne vestra illa præclara lex Agraria, magis popularis esse videatur. cum verò scelera consiliorum vestrorum, *fraudemque legis*, & insidias, quæ ipsi populo Romano à popularibus tribanis pl. fiant, ostendero, 1. pertimescam, credo, ne mihi non liceat contra vos in concione consistere: præsertim cum mihi deliberatum, & constitutum sit, ita gerere consularum, quo uno modo geri *gravior*, & *liberè* potest, ut neque provinciam, neque honorem, neque ornamentum aliquod, aut commodum, neque rem ullam, quæ à tribuno pl. impediri possit, appetiturus sim. Dicit frequentissimum senatum consul, Kalendis Januarii, sese, si status hic reipub. maneat, neque aliud negotium extiterit, quod honestè subterfugere non possit, in provinciam non iturum. Sic me 2. in hoc magistratu geram populo Rom. ut possim tribunum pl. reipub. iratum coercere: mihi iratum, contemnere. Quamobrem, per deos immortalis, colligite vos, tribuni pl. deserite eos, à quibus, nisi prospicitis, brevi tem-

pore deseremini: conspirate nobiscum: consentite cum bonis: communem reipub. *communis studio*, atque amore defendite. multa sunt occulta reipub. vulnera, multa nefariorum civium perniciosa consilia: nullum externum periculum est, non rex, non gens ulla, non natio pertimescenda est: inclusum malum, intestinum, ac *domesticum* est, huic pro se quisque nostrum mederi, atque hoc omnes sanare velle debemus. Erratis, si senatum probare ea quæ dicuntur à me, putatis, populum autem esse in alia voluntate. Omnes, qui se *incolamè* volunt, sequentur auctoritatem consulis, soluti à cupiditatibus, 3. liberi à delictis, cauti in periculis, non timidi in contentionibus. Quòd si quis vestrum spe ducitur, se posse turbulenta ratione *honori velificari* suo: primum, me consule, id sperare desistat: deinde habeat me ipsum sibi documentum, quem equestris locum locum videt, quæ *vita via* facillimè viros bonos ad honorem, dignitatemque perducatur. Quòd si vos vestrum mihi studium, P. C. ad communem dignitatem defendendam profiteremini, perficiam profectò id, quod maxime reip. desiderat, ut hujus ordinis auctoritas, quæ apud majores nostros fuit, eadem nunc longo intervallo reipub. restituta esse videatur.

M. TVLLIUS CICERO
DE
LEGE AGRARIA,
CONTRA
P. SERVILIUM RULLUM,
TRIBUNUM PLEBIS, AD
POPULUM.
ORATIO DECIMA SEXTA.
SYNOPSIS.

Causa. Tribuni pleb. superiori oratione Ciceronis in Senatu habita exortiti, ad populum Ciceronem vocant, quasi populo disceptatore (vixit in speciem commodo legem Agrariam suadebant) in causa superiores essent futuri. Cicero senatum se sequi jubet, eoque comitatu sepius in concionem venit, & hac oratione magnifica Legem Agrariam dissuadet. Euentus. Lex Rulli antiquata, non suffragiis aut intercessionibus trib. pleb. impeditus, vnum eam Rullus cognita populi voluntate ferre non est ausus. 7. Plin. 30.



Si hoc ip. more positum, Quirites, institutoque majorum, ut ii, qui beneficio vestro *imagines* familiarum consecrati sunt, eam primam habeant concionem, qua gratiam beneficii vestri cum suorum laude conjungant, qua in oratione nonnulli aliquando digni majorum loco repetiuntur: plerique autem hoc perficiunt, ut tantum majori-

bus eorum debitum esse videatur, unde etiam quod *posterior* solveretur, redundaret. Mihi quidem apud vos de meis majoribus dicendi facultas non datur: non quòd non tales fuerint, quales nos illorum sanguine creatos, disciplinisque institutos videtis: sed quòd laude populari, atque honoris vestri luce caruerunt. De me autem ipso, vercor, ne arrogantis sit apud vos dicere: ingrati, tacere. nam & quibus *studium* hanc dignitatem consecutus sim, memetipsum commemorare,

4. *Pertimescam* credo, ut mihi non liceat, &c. Pal. sec. haud agnoscit: *men*: & poterat abesse.

5. *In hac magistratu geram* populo Rom. ut possim. Receptit Lambinus conjecturam Lauredanii, *geram* P. C. ut poss. sed tamen nihil vitii est in

vulgata.

3. *Liberi à delictis*. Lambini conjectura, *à delictis*. sed quorsum ita tandem? an non hoc palam est, Ciceronem dicere: sibi assensuros, qui neque rerum novarum cupidus, neque scelerum sibi fins confecti.

3. *Mali*